

**V APRILIS.  
DE S. VINCENTIO FERRERIO ORDINIS  
PRÆDICATORVM VENETI IN ARMORICIS.**

**ALIA MIRACVLA facta in Britannia Armorica, & ex  
Processu Venetensi Gallice collecta a Bernardo  
Guyardo de Iesu Maria Ordinis Prædicatorum.**

**CAPUT I.**

**Miracula Veneti, maxime civibus, ad invocationem  
S. Vincentii facta.**

[1] Ioannes Mayda elephantiacus, a patre suo commendatus Sancto, [Curatus morbus caducus &] adductusque ad sepulcrum admodum male habens; sanus inde reductus est, propter votum, quo se obligaverat pater imaginem ceream oblaturum, ejusdem cujus filius ponderis, cum annua viginti solidorum pensione, quamdiu ille viveret. Hispanus quidam, nostri Ordinis religiosus, [debilitas oculorum:] videndi plenam facultatem a Sancti conterranei sui sepulcro pie visitato retulit, sacrificio Missæ & Officii lectione ibidem absque impedimento perfunctus; qui advenerat totus ferme cæcus; admotisque candelis aut solis radio non nisi ægre valebat lucem distinguere a tenebris. Joannes Rolandi, [apparet Sanctus devoto suo;] Dominus de Haerdelan, Consilarii & Auditoris rationum munere fungens apud Ducem, tenerrime diligebat S. Vincentium dum viveret, eoque meruit ipsum videre post mortem, tali habitu quali concionari solebat. Complures nautæ Venetenses, in manifestum mortis periculum adducti per tempestatem, votum fecere S. Vincentio: [blasphemus punitur,] quod cum eorum unus subsannaret, continuo lateris unius paralyti punitus est, ceteri autem salvi ad portum adducti.

[2] Joanna, vidua Joannis Damon, e summis ædium scalis de gradu in gradum provoluta, [Prægnans post lapsum salva.] non absque magna fœti uteri succussione, arbitrabatur aborsum continuo secuturum: sed invocato Sancto, ut saltem baptismi gratia fœtui suo obtingeret, [curantur febris,] omni se liberam sensit dolore, nec nisi justo tempore edidit fœtum, eundemque vitalem. Alanus de Cresolis, toto triennio vehementi conflictatus febre, solutus ea fuit, postquam ad Sancti tumulum attulit cereum voto promissum. Eodem adducta femina paralytica Venetensis, rediit domum per se, [paralysis,] membris omnibus confirmata: nomen testes non expressere. Guillelmus Roberti, incurabili ab annis quinque plaga tibiam affectam dolens, quod a medicis chirurgisque non potuit, [vulnus tibiæ,] facto ad Sanctum voto impetravit. [oculus lasus,] Idem illapsa in oculum festuca bimestri spatio cruciatus, ut neque videre commode nec dormire posset; oculum cereum offerendum vovit, & suum mox sanum esse sensit. [ignotum malum cum mortis periculo:] Joannes Boudiden, Veneti commorans, filiam habuit Olivam nomine, cui malum, ignotum medicis, faciem & fauces unamque mamillarum occupavit, & visum simul atque loquelam abstulit, ipsamque spem longioris vitæ. Sed puellæ frater votum fecit de duodecim denariis, annue ad sepulcrum offerendis: & intra quartam horæ partem visum ac loquelam recuperavit ægra, neque totis octo diebus opus fuit ut integre convalesceret.

[3] [puer mortuus suscitatur:] Oliverio Rouxel, civi Venetensi, mortuus erat Oliverius filius: uxor non satis mortuum credens quem efflictim diligebat, candelam ori & naribus applicat, & calefaciendis pedibus calentes tegulas: quibus quamvis proficeretur nihil, noluit tamen permittere, ut terræ traderetur corpusculum: sed eo apud se servato, die postera maritum interrogat, numquid non ivisset ad tumulum Sancti oraturus pro filio. Negat ille

ivisse se: instanti autem, ut eat, uxori morem gerens, candelam accendit ad sepulcrum, alteramque detulit ad uxorem, quam ipsa quoque ibidem accendi faceret. Non poterat illa a caro corpore divelli longius: ergo templum Franciscanorum ingressa, raptim ibi filium commendat Deo, beatæ Virgini Sanctoque Vincentio, & relicto ibidem pro Missa dicenda stipendio, recurrit domum curatura funus. Redeunte autem, dum adhuc esset in via, una cum desiderio etiam spe videndi filium suscitatum, duos denarios pro eodem annue persolvendos vovet. Mox venienti Dominæ occurrit ancilla, dicitque, ut ante, rigidum frigidumque remanere parvulum. Illa tamen neque sic desperavit: igitur ingressa cubiculum, ubi jacentem reliquerat, vidit eum ad se conversum poscere pomum, quod præ oculis erat, quoniam se ajebat famere. Tunc vero præ gaudio vix sui compos, omisso pomo currit ad maritum, nuntiat ei suscitatum filium. Venit ille & ridentem invenit, eidemque mater pomum porrigit: moxque eum ambo ad sepulcrum ducunt, & gratias agunt: puer vero quatuor annos natus, quod erat diei reliquum sanus cum pueris ludendo exegit.

[4] Petrina, uxor Joannis Venetensis, undecim mensium filium commiserat nutrici, in suburbio S. Salamonis habitanti: [alius puer ex peste moribundus.] huic domum pestilentia cum infecisset, nuntiatur matri contagio quoque afflatum esse parvulum. Ergo accurrit illa, periculi immemor, & animam jam agentem reperiens, inter brachia tollit, ac domum suam defert. Ibi cum Sancto votum fecisset, ridere mox puer cœpit, & alterius nutricis ubera sugere, absque ulla deinceps vel pueri vel secundæ nutricis vel ullius ex omnibus domesticis noxa. [res amissæ recuperatæ.] Oliva, uxor Oliverii Lacqueron, duo ænea pollubra perdiderat, tunc temporis scutis aureis duobus æstimata. Ea si recuperaret, vovit totidem se oblaturam ex cera ad sepulcrum Sancti. Ab hoc postridie visitato revertens, ignotum ad fores domus suæ

hominem invenit, qui alterum ex amissis ei reddidit, asserens ex furis cujusdam manibus receptum; altero autem die etiam secundum reportavit. Similiter duos scyphos argenteos ablatos ægerrime ferens Joannes le Clerc, [sanantur tres personæ a peste,] eosdem voto facto recuperavit: filiam quoque, ob haustam luem desperatam a medicis, & domesticos omnes servavit indemnes.

[5] Joanna, uxor Yvonis le Clerc, peste contacta; cum jam animam ageret, & de maturando funere tractarent alii; sub extremum spiritum recordata est voti ad Sanctum faciendi; & mox amissam recuperavit loquelam, atque intra paucos dies integram sanitatem. Ab eodem contagio moribundam filiam ut commendaret Sancto, sepulcrum adiit Joanna alia, uxor Guillelmi le Maunic: actaque ibi in oratione hora dimidia, ægram melius habentem reperit, & intra paucos dies sanam. Domicella Margarita, uxor Joannis de Cresoles, [alia a paralyti,] paralytica effecta ac manibus contracta, omnem sui movendi loquendique facultatem amisit: pro qua votum faciens mater sua, de cereo ad longitudinem corporis formando, & decem denariis annue dum filia viveret offerendis, mox ream sese voti sensit. Eidem Margaretæ filia fuit triennis, Jsabella de Cresoles dicta: hæc, [lapsæ puella contractum caput,] diebus antecineribus ludens in domo Henriettæ le Sceaux, ex scalis decidit, & sanguine per os & caput ac brachia aliasque contriti corporis partes defluente, pro mortua habebatur, sensus omnis ac motus expers. Ad lapsus nuntium perculsa mater tribus vicibus votum facit Sancto, nec enim mortuam esse sciebat. Illa autem eo momento locuta est: & quamvis capiti sic contrito nullam curationem præsumpsissent adhibere chirurgi, totoque biduo nihil cibi potusve læsa admisisset, mox tamen, ut novum votum nuncupavit mater, surrexit, comedit, bibit, convaluit. Eadem ex alio

postea morbo ad extremum vitæ adducta articulum, post inediam octiduanam, simili voto sanitatem recepit.

[6] [moribundi duo:] Matthæum Larans, letali frigore aliisque indiciis omnia veræ mortis signa præferentem, sepeliendum avia sua judicabat, nisi votum mater cum lacrymis fecisset pro filio: qui adapertis mox oculis, tandem etiam sanatus est. Maria, Guillelmi Rolandi filia, decimum quintum diem desperate ægrotans, & octavum jacens absque loquela, cum jam jam credetur expiratura, surrexit sana, voto pro ea ad Sanctum Vincentium nuncupato. Rolandus Brondic, [asthma difficile,] libere respirandi & ambulandi facultate privatus, remedium, quod frustra quæsiverat apud medicos, invenit ad tumulum Sancti, ad urbis totius Venetensis stuporem. Oliverius Herbelet, [os distortum:] tonsor ex Nausay in diœcesi Nannetensi oriundus, Venetensis incola, ex improvise sentiens os sibi in dexterum latus torqueri & linguæ usum impediri, obligavit se voto ad Sanctum emisso, & loco suo os, lingua usui rediit, ad patroni magnalia publicanda. Joanne de Nova villa cum pluribus aliis Burdegala Britanniam versus navigante; tam densa cunctos involvit nebula, [navis erepta naufragio,] ut omnem cæli terræque auferret conspectum. Ergo ad tres ingentes scopulos alliditur navis adeo vehementer, ut primo impulsu actum de vita omnes crederent. Ille se navimque & merces suas commendat Sancto, cereum pro corporis sui statura vovens; & intra quadrantem horæ ea subiit serenitas, quæ sufficeret ad locum qui Pornic dicitur in Britania tenendum; utque constaret miraculo concessam, eodem quo appulit navis momento duplicata caligo, in seram usque vesperam duravit.

[7] [& altera inter scopulos periclitans.] Dominus de la Barre, cum pluribus incolis Venetensibus ex Hispania rediens, quando navis jam prope tenebat eum portum Britannicæ, cui Penmarch nomen, horribili imbre &

tenebrosa procella occupatus, solam mortem habebat præ oculis. Jamque consilii & auxilii impotes, dimissa navigii cura, funibus sese adstringebant bini ac bini; quia intra duos immanes scopulos medio ex mari assurgentes se jactari videbant, jam inde a prima ad horam Vesperarum. Tandem succurrit confugere ad S. Vincentii patrocinium implorandum, nudatisque pariter capitibus flectentes genua, & manus attollentes in cœlum, voverunt unanimiter, quod, si a discrimine tam præsentis eriperentur, ab eo loco, ex quo primum conspicerent turres ecclesiæ in qua requiescit, pedites & sola linea veste tecti procederent, a porta autem ad sepulcrum genibus proreptarent. Vix voti sui pronuntiaverant verba, quando ipso in aëre vir apparuit amictus albis, qui arreptum navis velum contorsit in partem, unde propitius ventus spirabat; atque de medio scopulorum fatalium ereptis, in portum Penmarch evadendi facultatem præbuit.

[8] [dæmon ex energumena,] Energumena Venetensis, per vim ad Sancti sepulcrum adducta, ibique a meridie ad horam usque Vesperarum retenta, a maligno hospite liberata fuit. Quidam, Brabantus nomine, Picardus natione, de Sancto adhuc vivente nescio quid impudenter effutiens, ita offendit Petrinam uxorem Joannis Boric civis Venetensis, ut imprecata ei sit casum, quo ipsius Sancti auxilio aliquando egeret. Duobus igitur annis post, blasphemus ille in paralytin incidit, quæ os impurum foede distorsit: [calculus e vesica ejectus.] ex pœna autem suum crimen agnoscens, sepulcrum ejus quem læserat adivit venerabundus, & placato retulit sanitatem. Petrus le Boce, calculo ad modum nucis grandi omnino impeditus urinam reddere, dirissimis torquebatur doloribus; & horrendum vociferans, ipso in cruciatu expiraturus credebatur. Vovet pro filio, si convalescat, pater ceream imaginem offerendam, puerumque dum viveret hebdomade qualibet cum accensa candela iturum ad

sepulcrum: qui mox ejecto calculo, dolore etiam omni est liberatus.

[9] Oliva, Laurentii Hispani mater, peste contacta, extraque spem posita, [moribunda ex peste,] voto facto frustravit expectationem eorum, qui de morte illius non dubitabant. Joannes Guillot sexennem filiam, Mariam nomine, [morta ex præcipitio juvantur.] ex alto prolapsam mortuamque reperiens, clamoribus suis excivit vicinos. Suadent illi ut ipsam Sancti sepulcro devoveat: ubi statim ac quinque denarios obtulit, redemptam a morte filiam est gratulatus. [sanantur morbus diuturnus,] Alanus l'Abbe a pertinaci anni unius & medii morbo sanitatem emit, duos solidos & sex denarios annue offerendos vovens, quam nullis impendiis poterat a medicis obtinere. Joannes Quere, Presbyter & sacrista S. Petri Venetensis, testatus est se vidisse Presbyterum leprosum Lugdunensem, [lepra,] cujus morbus cum medici juberent habere in desperatis, voto se leprosus obstrinxit Venetum veniendi ad sepulcrum viri Dei, quem angelico potius quam humano modo vitam duxisse audiebat; statim autem atque se dedit in viam, sanguinem cœpit ejicere ex ore; & quanto plus conficiebat viæ, tanto magis proficiebat ad sanitatem. Cum autem ad sepulcrum venit, omnino sanus, notabantur adhuc in ejus facie præteriti morbi necdum omnino siccata vestigia. Ajebat autem, etiam duplo longioris viæ laborem libenter subiturum fuisse se, pro tali beneficio consequendo.

[10] Joanni Gibon filia erat elephantiasi laborans: cui sanitatem impetravit voto facto de curando ad sepulcrum cereo, [elephantiasis,] qui filiæ corpus altitudine & grossitie æquaret. Similis cerei Missæque insuper curandæ voto, [pestis.] Alana, uxor Joannis Joyaux, mortem a peste imminentem evasit. Eadem scyphos duos argenteos duarum marcarum & totidem unciarum subreptos furto querebatur, [recuperantur amissa.] & voto

facto, pro iis recuperandis spem suam firmans, exaudita est; Namnetensi enim ex urbe, quo furtum suum detulerat nequam, in frustra comminutum, ipsam recepit ab aurifabro quodam. [moribunda consurgit.] Maria, Guillelmi Rolandi filia, minime dubia morte jacebat, deposita, totam unam noctem diemque. Recordantur parentes tabellæ ad sepulcrum appensæ, qua exhibetur reddita infanti vita, quem mater sua in partes diviserat; & votum quoque pro filia faciunt. Illa autem plorare mox cæpit: quod videns pater ad Sancti accurrit tumulum acturus gratias, indeque revertens filiam reperit edentem, ridentem, ludentem, verbo sanam prorsus, ad stuporem maximum familiæ totius.

[11] [sub trabe contrita suscitatur.] Cum filia Joannis Michardi ludibunda se supra ingentem quamdam trabem libraret, devoluta in caput subtus eam cecidit, illudque comminutum putrido pomo (verba depositionis sunt) simile videbatur. Accurrit, qui labentem viderat, Oliverius Cadoret; magnoque nisu conatus trabem attollere, inque conatu deficiens, iterato collidit infelicem: quæ plurimum auxilio subducta a pondere opprimente, lectoque imposita, totam unam horam mortua jacuit. Post hæc, omnibus, qui una cum mæstissimo patre lectum ambiebant, genuflectentibus & S. Vincentium invocantibus, aperuit oculos, suspirium dedit, intraque duos dies convaluit ad stuporem chirurgorum. Prædictus quoque Oliverius, [sanguinis fluxus sistitur.] per os perque secessum sanguine copioso fluens mensem jam tertium, a medicis denique, nihil amplius præsidii sua in arte reperientibus, morti est addictus; eamdem vero ipse & uxor sua arcuerunt, voventes cereum, totidem quot moribundus libras appensurum, seque ituros ad sepulcrum in amictu lineo ac pedibus nudis.

## CAPUT II.

### Miracula patrata in eorum gratiam



**qui diœcesim Venetensem incolebant.**

[12] [Sanatur puer moribundus peste,] Quæ sequuntur miracula in variis Venetensis diœceseos parochiis accidere: incipimus ab ea, quæ urbi suburbana est, S. Paterni. Hic grassans pestilitas omnes Joannis Tegat liberos abstulerat præter unicum, qui & ipse jam animam agebat: quare cum alteri defuncto sepulcrum effossurus abiret pater, dixit ei uxor, etiam huic, jam jam expirato, fossam facito. Tum doloris impatiens, O miseriam! inquit, itane omnes simul proles aufert Deus? Tandem meliori consilio, pro qualitercumque superstite votum vovit S. Vincentio, multis cum lacrymis duos denarios promittens; eodemque fine mariti frater e vicina domo abiit, sacrificium Missæ ad altare Sancti curaturus. Vix autem dimidium viæ absolverat, quin puerulus cibum poscens, comederet ovum, totusque mox sanus appareret. Joanna, uxor Joannis Aufray, ex Ployengrisset oriunda, [mulier caduca & cæca semel iterumque,] sed Veneti tunc habitans, morbum patiebatur caducum visumque amiserat: votum igitur fecit, & utroque malo libera fuit. Sed negligens præ pudore publicare miraculum ad sepulcrum, quod visitarat ex voto; octavo rursum die, utrumque beneficium amissum doluit, & remedium ab humana arte quæsivit. Tandem a vicinis rogata nullumne emisisset votum pro sanitate recuperanda etiam hac vice, fecisse quidem negabat, sed aiebat jam facere: progressaque ad S. Petri ecclesiam, dum facta peccatorum confessione injunctā sibi pœnitentiam implet ante Crucifixum, ibi extremum cecidit, deinde vero per merita Sancti visum recuperans, etiam caduco morbo libera imposterum mansit.

[13] [extinctus fœtus reviviscit,] Aliettæ, uxori Joannis Jeudy, fœtus in ipso puerperio extinctus cum esset, obstetrici culpam afflicti parentes impingebant: illa probro & dolore stimulata, in genua se provolvit, infantem

**S. Vincentio vovet, orationem Dominicam recitat: qua finita, qui ultra dimidiam horam jacuerat mortuus, manifesta vitæ signa edidit, usque dum baptismum recepisset. Domicella Joanna Traineaux, uxor Joannis de Coetlagat, liberis sex peste præmortuis, ipsa quoque jacebat moritura, omnium facultatum usu privata. [convalescit moribunda ex peste,] Fecerat illa votum S. Vincentio, ut primum se afflaram sensit: cum autem jam animam ageret, duplicavit votum maritus ejus; eodemque instanti mentis & loquelæ compos effecta, etiam cibum poposcit ac sumpsit, nec multo post plenam habuit sanitatem. [tempestat sedatur,] Piscatores tres Joannes Gnezon, Joannes Rochelard, & Petrus Carancoux, operi suo intenti ad insulam, quæ Veneto distans leucis octo Malver nuncupatur, subita tempestate exorta, spem vitæ abjecerant, nisi quam reliquam fecerat nota S. Vincentii potentia: ad hanc igitur implorandam vota faciunt, & continuo tempestat posuit, ipsaque quæ confracta prorsus fuerant retia, ex aquis integra sunt retracta.**

**[14] Ceciderat e sublimibus scalis Matthæus, Laurentii Monterray filius; [mortuus suscitatur,] & pro mortuo a cunctis habitus, hora dimidia jacuerat frigidus. Invocat S. Vincentium desperabunda mater, filiique alterum oculum apertum videt: reduplicat preces; & cœptum favorem festinans absolvere Sanctus, plenam deposito reddidit sanitatem. [blasphemus punitur,] Navis Hispanica ad bellum instructa, prope Bellam-insulam deprehenderat lembum, quo Joannes Bars aliique nautæ vehebantur. Hi ne capiantur ab hostibus S. Vincentium implorant, præter Jacobum Parin, nihil veritum socios irridendo interrogare, quomodo ab eo opem sperarent, qui sibi ipsi opitulari contra mortem non potuit? Hæc dicenti contortum os, loquela ablata, & spiritus pene vitalis extinctus est; ita subito corruit in conspectu omnium. Tam præsentis divinæ ultionis exemplo flexi socii, ipsum quoque cœperunt commendare Sancto; & precantibus illis, sensus quidem &**

vox blasphemus rediit, os autem distortum ei perpetuo mansit; cujus etiam culpæ pauperuli illi potuerunt adscribere, quod non essent tunc ab hostibus eruti; sicuti intercessioni Sancti attribuerunt, quod paulo post libertati fuerint restituti.

[15] [a piratis & naufragio salvati quidam.] Rivallum Madec, cum sociis securius navigantem, ceperant Scotici quidam piratæ, eodemque die confracta ad scopulum navi, in eo quem salutis causa conscenderant lembo omnes perierant. Mali ab aqua extantis corbitam occupat cum suis Rivallus, & invocati Sancti auxilium non diu præstolatus est: vix enim media hora effluxerat, cum bellica navis, eadem insistens viam, omnes excepit. Ludovica, [moribundus servatus,] uxor Joannis Cadoret, identidem cereum accendebat benedictum, ut nati ante novem menses filioli, & tertio jam die a materno lacte omnique alio nutrimento abstinentis, spiritum extremum legeret: interim S. Vincentii recordata, filium ei suum devovet, & mox melius habens parvulus suxit ubera, intraque paucos dies convaluit. [oculi debiles sanati.] Thomasia, uxor Fevrier, filiam suam Joannam, Yberto Niou conjugatam, maligno quodam per caput rheumate sic affectam videns, ut oculi sinistri lumine extincto, exiguus admodum superesset dexteri oculi usus; S. Vincentio commendatam duxit ad sepulcrum; quæ postero die facultatem videndi, nec multo post integram habuit sanitatem.

[16] Petri Hernou domum comprehendens ignis, matrem ejus jam extinxerat: [incendium repressum,] ille superveniens, & malo, cui nullum videbat remedium, consternatus, protectorem poposcit S. Vincentium: moxque sopitæ flammæ cetera omnia inconsumpta dimisere. Oliverius Bocher mente sana exciderat: vovet ejus pater linteatum se & genuflexum prorepturum a domo sua ad sepulcrum Sancti: [amentia sublata,] qui

mox filio sanam mentem restituit. Ejusdem ope ad matris votum restituta est vitæ Stephanetta Bellavenne; seque ream agnovit mater portandi ad sepulcrum cerei, qui filiæ æquaret altitudinem, crucisque ad hoc fabricatæ ut exequiali officio usui esset. Joannæ, [mortua suscitata, sanata paralysis,] uxori Oliverii Quersacq, manus pedesque dissolverat paralysis: sed votum Sancto nuncupatum sanitati restituit. Oliverium Colet, maritum suum, urgebat Alieta, ut contactæ pestilenti aëre filiæ sarcophagum pararet: verum ille ad sepulcrum Sancti adire maluit, [peste morituri plures servati.] indeque revertens loquentem invenit filiam, quam a biduo omnis loquela destituerat, & eandem ex integre vidit in brevi sanam. Similis Ines Bandicum quemdam & uxorem ejus ac geminam prolem afflaverat: qui omnes cum ab humanis remediis longiorem non possent vitam sperare, eandem facto voto a propitio sibi Vincentio impetrarunt. Simile votum a simili malo certaue morte etiam Guillelmam Travers exemit. Eundem favorem uxori ac filio moribundis obtinuit Joannes le Gnenegou; pro filio vero ceream vovens imaginem, insuperque promittens, quod uxor sua, si convalesceret, linteata & nudis pedibus Sancti sepulcrum visitaret. Pestem quoque & imminentem ab ea mortem evasit voto Margarita, uxor Joannis le Seigneur. Eadem in suo indusio venit ad sepulcrum sancti, expletura votum, quod pro moribundo nepote non frustra fecerat. [sanantur febricitans,]

[17] Uxorem Oliverii Baliquet ardens febris ad mortem præcipitabat: nisi ab ea se redemisset, denariis quinque ad sepulcrum oblatis. Joannam quoque, [hydropica,] Maturini Gauterii conjugem, intercus aqua tres jam annos prohibebat ambulare: sed in indusio supra sepulcrum deposita manibus alienis, suis inde pedibus domum revertit liberata. [moribunda.] Nihilominus subitam sanitatem accepit Joanna, filia Guillelmi Riou, amisso loquendi usu moribunda, mox ut Sancto fuit commendata.

[repelluntur pirata] Joannes Bocher cum Venetensibus aliis piscatum exierat ad Bellam-insulam, quando piratica Anglorum apparuit: contra quam cum S. Vincentii opem Venetenses implorarent, disparuerunt ab oculis Angli. Testatur autem idem Joannes, [juvantur moribundi duo,] vitam sibi miraculose servatam eo vespere, quo non sperabat visurum se crastinum, nisi pestilens virus depulisset votum rite conceptum. Festo S. Michaelis die, [mortua una] mortuam ab hora dimidia iudicio omnium filiam Petrinam, Sancto commendavit Petrus Mauret, cereum pro ejus statura longum voto promittens; & illa stupentibus cunctis viva surrexit. Tantum non mortuus erat Gamettus Metrea, eique tumulando jam paratus sarcophagus; quando pro filio votum fecit pater, & sanum recepit. [& cæca.] Ejusdem Gameti uxor Yvona, simili intercessione visum recuperavit amissum. [tempestas sedatur] Veneto Rupellam navigabat cum pluribus aliis Petrus le Moël: qui orta, qualem numquam senserant, tempestate validissima, cum portum desperarent, singuli cereum Sancto voverunt; & tranquillo mox mari, propositum iter feliciter decurrerunt. Denique Joannes Alhelec, amissum equum ubique requirens, [equus amissus recipitur.] cum facto voto pagum quemdam transiret, equi sui hinnitum audiit ex proximo stabulo; eoque reserato, reperit quem quærebat.

[18] [pestiferi sanati,] In parochia Divæ Virginis de Mene succensa pestilentia, Radulpho Ruallain ita inflaverat guttur, ut bovino paleari comparandum videretur, spiritumque extremis in labris haberet; sine mora autem illud detumuit, cum pro eo votum uxor sua fecisset, & postridie sanus ipse ex integro fuit. Duobus ibidem pestiferis carbunculis infecta Guidona quædam Guillou, tertium diem jacebat vocis & mentis expers; cui remedio fuit votum patris pro ea nuncupatum, de adeundo pedibus nudis atque in indusio Sancti sepulcro.

[19] In parochia S. Salomonis, Yuo le Houssec, ex tribus quot ægrotaverat annis, totos duos jacuerat impotens movere corpus, [alias moribundi,] tandem etiam quatruido integro loquela & sensu privatus. Vix autem eum uxor sua Oliva Sancto vovit, quin levamen senserit, & intra octiduum sanus fuerit, obligatus annue ad quinque denarios suo curatorum pendendos. Ad ejusdem sepulcrum a domo sua genibus repens Joannes Terrier pro filio moribundo, eundem in reditu prorsus sanum reperit. Intra octo dies sanatus quoque fuit puer, filius Joannis le Bouteiller, ex eminentiori cubiculo deorsum lapsus, loquelaque ac sensu destitutus: quia pater & mater ad sepulcrum recurrerant sancti viri. Peste moriebantur filiae duæ Joannis Mace: pro quarum prima decem, pro secunda quinque denarios vovens S. Vincentio, vivam utramque servavit. Moriturum quoque credebat se Joannes Scaby, impacto equi calce sic percussus, ut trium hebdomadarum spatio neque movere, neque dormire posset, nec comedere: sed eodem tempore, quo ad altare Sancti Missam dicendam ejus uxor curavit, decem quoad viveret denarios vovens, [& ab equo percussus.] sublevari se sensit, nec diu post ex integro sanum.

[20] In oppido Hennebont commorabatur Joannes Timoy, Briocensis natu, sedecim mensibus crudeli afflictus podagra, totum non pedem tantum, sed crus ipsum ligante: [item podragicus,] hic ad sepulcrum S. Vincentii accedens adminiculo alieno, ibique sublevatus, suis ipse pedibus, nullius fulcri indigens, domum regressus, est. Ibidem mater Theobaldi Laeset, vovendo quod dictum sepulcrum visitaret, [cæca,] amissam videndi facultatem recuperavit. Dominus de Capite-nemoris, parochiæ de Bubri nobilis incola, ita afficiebatur S. Vincentii concionibus audiendis, ut ea sola de causa ipsum per totam Britanniam sit assectatus, usque dum Venetum reverteretur: quod obsequium mortuus Sanctus memorabili compensavit beneficio. Nam cum filius, ei

tenerrime dilectus, Joannes nomine (cujus in lasciviori adolescentia factus erat, non lege, sed natura pater) ex Normannia veniens, hausta quæ per argenti minera fluebat aqua ita intumisset, [misere tumefactus] ut ad genua propenderet distentus venter, umbilicus procidens grossitiem ac longitudinem brachii æquaret, & inflatum guttur non permetteret oculis liberum in terram despectum; adduxit eum pater suus ad medicos Ducis; his autem remedium nullum idoneum reperientibus, eundem reduxit domum, victimam brevi securæ mortis: quæ etiam credita est abesse propius, postquam tribus septimanis, vocis cibique ac potus expers, non nisi pauculas vini guttas transmitteret, ori immissas per dentes, inserto violenter cultro utcumque reseratos. Jam lintea mortualia parabantur, [& jam moriturus,] quando avus adolescentis, qui velut legitimum amabat hunc suum nepotem, magna cum fiducia preces ad S. Vincentium pro eo dirigit. Nec mora, oculos aperit infirmus, fari incipit, magnaque cum violentia ex prorumpentis umbilici abscessu ejectat calculos ad sexaginta, subsidenteque tumore momento pene temporis convalescit, cum ingenti stupore præsentium; ac deinde itinere leucarum decem, nudis pedibus soloque indusio tectus, ad sepulcrum Sancti supplicabundus abit. Eodem se iturum vovens Petrus le Navesic, pestem excussit, a qua mortem timebat.

[21] In parochia Elvensi magno membrorum omnium languore & capitis diuturno dolore laboraverat vir nobilis, [depelluntur, pestis,] dictus Guilielmus: qui ad sepulcrum veniens, cum intra utramque tumbam se collocasset, surrexit inde, sanus si unquam. Ibidem febrim, novem mensibus torquentem, expulit Joannes Bolorec; nec deinde reducem eam sensit. [languor,] Domicella Joanna le Moigne, uxor Ioannis de Noyal, obtulerat homini non satis noto haustum vini, deinde per leges urbanitatis coacta ex eodem potare vitro, non quidem bibit

(exhorruerat enim, cum vidisset hospitis sui os & labia fœdi contagiosique morbi indicia præferre manifesta) libavit tamen extremis labiis: [febris,] adeoque præsens malum sensit, ut in terram corrueret, & letali correpta frigore per horas duas, neque loqui quidquam nec sentire posset. [lætalis syncope,] Consternatus cum iis qui aderant maritus, cum nesciret unde remedium speraret, ad Sanctum recurrit Vincentium, & solidos quinque vovit: illaque mox locuta est atque convaluit. Henrietta le Noblan, viginti quinque annos nata, mentis vocisque expers jacebat ex peste, [curantur ex peste contracta amentes,] paratusque expiraturæ mox sarcophagus erat: sanitatem tamen illa recepit, postquam pater ac mater puellæ vovissent cereum sarcophagum Sancto, plurimum ejus miraculorum recordati. Extinctum pene toto triennio visum implorata ope ejusdem Sancti, Ioannes Corre ibidem recepit.

[22] In parochia Mussuillac, Mariæ filia Guilielmi Terrovin & uxori Ioannis le Duc, phrenesim attulerat pestilentia, eoque redegerat miseram, ut nonum diem nihil vel comederet vel loqueretur: hinc afflicta pater ad ecclesiam S. Petri Venetensis se vertit, filiam S. Vincentio devovet: mox loquitur illa, & cito convalescit. Indidem venerat Indulgentiarum causa Oliverius d'Anonal, visisque quæ Veneti fiebant miraculis, eorum relationem fecit uxori. Ambo igitur voverunt Sancto, [puer infirmus,] quod ipsi sisterent filium suum, adeo infirmum, ut integro fere anno formare vocem non potuerit: hoc autem statim ac fecere, locutus est, & ante triduum plene convaluit. Gemino pestilenti carbone ictus Joannes Guezel ad mortem tendebat, una cum filio similem carbonem ferente: cum eodemque servatus in vivis est per uxorem, pollicitam denarios septem ad sepulcrum offerendos. Totidem locis pestem receperat Petrina, Yvonis le Dagant filia, & postquam sine voce, visu, cibo, pastu quinque dies jacuisset, paratus ad sepulturam sarcophagus erat:



[pestiferi moribundi.] sed hunc cum decem denariis Sancto vovere maluit moribundæ pater, eademque nocte queri illa, loqui postridie, mox autem integre convalescere cœpit.

[23] Ex parochia Ploevignier venit Guilielmus le Mareschal, a molesta tredecim mensium feбри curandus: votumque obtinuit, noctem unam supra Sancti sepulcrum dormiens. In eadem parochia, amissis pestilentia liberis sex, postremam quoque Catharinam morti proximam videns pater, Ioannes Micolahic, eique sarcophagum apparari; cum precibus accurrit ad Vincentium, & prompta filiæ convalescentia recreatus inter tot funera est. Ex tribus ibidem fratribus, eadem afflatis lue, solus superfuit Ioannes Richard, quia se Sancto commendavit. Tertium filium, post mortem duorum, simili extingui peste dolens Ioannes le Gloavec, cum uxore sua vovit candelam & imaginem ex cera, quotannis offerendas ad sepulcrum: ipsaque hora sanus puer loqui cœpit. Promissis ad idem sepulcrum solidis decem, copiosum sanguinem per nares jecit Petrus Yvelin; & convaluit a peste, qua certo extinguendus putabatur. Sinistri oculi visum, quem illapsa castaneæ testa sustulerat, [ingrati pro sanitate eandem amittunt,] invocatus S. Vincentius reddiderat; negligentibus votum implere parentibus, rursus eundem amisit Maria, filia Oliverii Avanture: culpam igitur agnovere & resarcivere illi, Venetumque venire; ubi cum tantum a S. Petri ecclesia iidem abessent, [votum solventes recuperant,] quantum bino jactu metiri lapis posset, denuo visum recuperavit puella. Similem negligentiam complendi voti, pro filio moribundo facti, Yvo Cudel simili modo mulctatus doluit, & nudis pedibus ac linteatus vadiens ad tumulum, iterato mortem a puero depulit. Oliverius quoque Meithezour pro recepto, quem pene extinctum duobus mensibus doluerat, visu, reus duorum oculorum ex cera ad sepulcrum ferendorum, [sanatur moribundus,] cum voti oblitus esset, septem

hebdomadis infirmus decubuit; & culpam confitens sanitatem recepit, ubi promisit se publicaturum miraculum. Denique Ioannes Sancti, in jam dicta parochia mensem totum affixus lecto, seque mori existimans, quia non modo non ambulare, sed nec edere aut bibere jam amplius poterat; annuam quinque denariorum pensionem cum imagine cerea vovit Sancto, & mox vocem sibi dicentem audit: [varii a peste] Surge sanatus es. Veritatem facti probavit ipse, postridie ad sepulcrum se sistens.

[24] In parochia Martyrum pestis afflaverat Yvonis Stephani geminam prolem: quam cum totidem candelis voverunt parentes ducendam ad sepulcrum Sancti, & sanitate secuta votum solverunt. Proximam quoque ex eodem morbo mortem expectabat Joanna, vidua Yvonis Brechgnan, per octo dies videndi, loquendi, edendi, bibendi facultatibus destituta: sed mox, ut mater sua viginti denarios, quoad viveret Sancto offerendos, vovit, loqui cœpit ac brevi convaluit. Totidem diebus alienus a mente propter pestilentiam, agnoscebat neminem Guillotus du Chesne: [aliisque morbis voto facto eripiuntur.] nihilominus vitam servavit, voto a consanguineis nuncupato de Missa ad sepulcrum S. Vincentii curanda. Voto quoque denariorum decem Guillielmus de Launay emit filio, ab ortu muto, loquendi facultatem: eidemque Sancto vovens sese Ægidius Thomason, liber a morbo caduco fuit.

[25] Peste infectissima erat parochia dicta Limerzel, qui autem intacti adhuc supererant cum Rectore processionem instituerunt ad sepulcrum Sancti, sex leucis distans; & promptam mali cessationem adepti, plures pagos exemplo suo ad simile beneficium sperandum obtinendumque exciverunt. Ibidem quidam Petrus Cantor fuit, [versa facies restituitur.] cui ex gravi morbo facies retrorversa permanserat annis septem: hic eodem

venturum se quotannis vovens cum certis quibusdam eleemosynis, venit ut voverat, sanatusque per annos aliquot votum tenuit: quod ubi neglexit, versa est denuo in dorsum facies; & ille sanatus denuo, ne sepius hoc pateretur accurate quotannis votum suum exolvit.

### CAPVT III.

#### Alia miracula diœcesanis Venetensibus concessa.

[26] [Invocato S. Vincentio varii a peste sanantur] In parochia Sulniac peste infectus Guilielmus le Marchadour, cum ingenti admiratione jacuit per menses duos, vocis, visus, potus atque cibi expers: tandem vovit Sancto filium parens, & hic sanatum se subito videns, addidit votum denariorum quinque, pro singulis quos deinceps viveret annis. Eodem morbo graviter affectam duabus in partibus, & loquela destitutam filiam, Petrus Bobes servavit in vivis, idem invocans patrocinium. Pestem quoque a se depulerunt Joannes & Henricus le Boneil fratres, cum vovissent venturos se ad sepulcrum linteatos, & ceream imaginem allaturos. Quatuor fere mensibus neque somnum ceperat neque urinam reddiderat Ioannes Madec, quare apud omnes erat conclamatum de vita: servavit hanc tamen, sanatus intra quinque dies, [alii a disuria,] post votum factum de quinque solidis cereoque ad sepulcrum. Ex dorsi atque renum dolore ingenti tam infirmus erat Guilielmus Rolandy, ut ægre se commovere posset: cui cum aliquis negasset, unquam surrecturum a morbo, vovit adire tumbam S. Vincentii, ibique denarios duos offerre: & eodem momento sanitatem recuperavit.

[27] Ex Menguyo in parochiam Grandis-campi veniens Nognoalus de Capite-nemoris, vidit domum Ioannis Herve sic ardentem, ut humano auxilio non superesset locus: ad hoc spectaculum vir ille nobilis, intimo commiserationis affectu tactus, pauperculi ædes commendavit Sancto,

quem fuerat tota dum viveret secutus Britannia. [& nephritide:] Invocantis se preces exaudiit Sanctus, & domus illa, quamvis paleis tecta, parum admodum apparuit læsa; imo qui intra eam cunasque suas relictus erat infans, [incendium exstinguitur] damnum nullum sensit. Uxori ejusdem nobilis sic intumuerat venter, undecim mensium spatio, non sine doloribus magnis, ut gemino fœtu gravida crederetur, donec consulti Ducis medici judicaverunt malum ignotum & incurabile esse. Videns ergo maritus eam deficere, hortatus est ut in S. Vincentium fiduciam haberet: [tumor ventris sanatur,] quæ cum eo votum faciens, nocte sequenti vehementiori vomitu secessuque ita exoneravit sese, ut intra triduum prorsus sana, nudis pedibus ex suis ædibus de Menguyo ad sepulcrum S. Vincentii venerit. Nudis quoque pedibus & linteati ex parochia prænominata Grandis-campi venerunt undecim, [& in multis pestis,] quibus salutare contra pestem fuerat votum Sancto fecisse. Ioannæ quoque Pinchon profuit votum, ab alio pro se factum, & eo in articulo, quo sarcophagus parabatur.

[28] In parochia Questelbertz peste sublatis ceteris liberis, unicus, isque jam moribundus, Guilielmo Zufi erat super: qui mortem a filio feliciter arcuit, [item quartana.] facto ad S. Vincentium voto. Indidem veniens Martinus Guenregou Licentiatus Juris, ut a quartana febris liberaretur, supra Sancti sepulcrum recubuit, [moribunda servatur,] ibique postremum febris accessum sensit. Ad eandem tumbam allaturum se imaginem ceream pro filia moribunda vovit pater, parochiæ jam dictæ inquilinus; illaque mox loqui cœpit, & cibo sumpto sanata fuit. Petrus quidam de Riparia minabat equum, [diffracto cranio mortuus resuscitatur.] fruges ad molam laturum: qui calce feriens alterum ejus tempus, ita gravi illud percussit ictu, ut cranii rupturam multus sanguis & subita mors secuta sit. Accurrit mater, accurrit ad clamorem ejus vicinia tota, & orbam, qua possunt, solantur ratione. Illa nihilominus

jussit in lectum suum deferri cadaver, ibique prostrata in genua, cœpit pro restituenda filio vita Sanctum invocare Vincentium: addidit & votum, quo nuncupato, convertens se filius quærit a matre, quis se istic deposuisset. Exponit illa quid acciderit: vicinos convocat gratulabunda: mirantur illi vivum videre, quem crediderant mortuum; neque minus quando intra paucos dies viderunt sanum consolidato vulnere, cujus curatio, ut mortuus non fuisset, longum omnino tempus requisivisset.

[29] In parochia Ambon agebat animam filia Joannis Quelas, quem absentem accersivit uxor sua, [servatur alia moribunda.] provisurum de sepultura defunctæ. Accurrit ille propere, ipsaque in via S. Vincentium invocat, & domum veniens filiam reperit prorsus sanatam, eo ipso momento, quantum ex intervallo loci licuit cognoscere, quo votum pater nuncupaverat. [patronus in judicio invenitur,] Eidem post mortem Ducis in ejus consilio lis gravis versabatur contra Joannem Venetensem: qui cum formidatus esset cunctis, quærenti pro causa æqua patronum nemo inventus est qui vellet eam litem suscipere. [varii liberantur a peste,] Igitur ad sepulcrum accedens rogavit Sanctum, ut alicui inspiraret mentem ad hoc, animumque pro rei æquitate imperterritum: & egressus e templo obvium habuit Henricum Combalam, causidicum & procuratorem Namnetensem, ultro quod cupiebat offerentem. Grassabatur in jam dicta parochia pestis & plerosque auferbat incolarum: ergo liberis suis, quos septem habebat, metuens Ioannes Simon omnes quidem commendavit Sancto, pro duobus autem, quos amabat tenerius, votum fecit trium solidorum & denariorum quatuor, si saltem hi servarentur in vivis. Exauditum pro his eventus docuit: nam cum omnes afflasset malum, [dolore diuturno,] duos hosce solos non sustulit. Oliverio quoque Colenou versantem extremis in labris spiritum mater sua retinuit, vovens nudis pedibus &

corpore linteato accedere ad sepulcrum Sancti, [morbo caduco,] ibique Missam dicendam curare.

[30] In parochia Sene, Yvo Davo, Presbyter, convaluit a dolore, qui anno uno & medio difficilem admodum ei fecerat incessum, [pestilentia,] precibus ad sanctum fuis: similique modo Catharinam uxorem suam a morbo caduco liberavit Joannes le Franc. In parochia de Sentene jam jam expiratura jacebat ex peste Ludovica, [stupore brachii,] filia nobilis viri Yvonis de Loquemerem: quam voto facto quia meruit sanam recipere mater, gratias actura Venetum accessit, atque a porta ecclesiæ ad sepulcrum Sancti genibus reptare voluit. Ibidem brachium ex morbo sibi credidit periturum Petronilla, [rabie,] vidua Ioannis Ahayo, nisi invocatus Sanctus præsidium tulisset. Filia quoque Alani Alanon, Ioanna nomine, [cæcitate,] mente capta & furiosa, eodem die mente & corpore sana ceream imaginem ad sepulcrum tulit, quo votum pro se mater fecerat. In parochia Marzen duobus cæcis reparatus per Sanctum visus est, qui eo nomine gratias acturi venerunt. Ioannes Damon scilicet, & Guilielmi Cazre uxor Petrina. Guilielmus autem intercessione eadem vitam conservavit duobus filiis, quos duabus in partibus pestis attigerat, cum viginti denarios vovisset ad sepulcrum ferendos.

[31] In parochia Ploeneres habitabat nobilis Domina Oliva de Coetsal, [puer defunctus suscitatur,] vidua quondam Silvestri de Lorneloux; cui filius post morbum, dierum septem mortuus est. Ipsa igitur, quoniam S. Vincentium viventem cognoverat, & erga demortuum magno tenebatur affectu; mandavit uni famulorum, ut cadaver parvuli linteo involutum assumeret in equo, Venetumque ad domum suam de Querlonevan deportaret, sepulcro Sancti superponendum. Eunti se quoque comitem junxit; utque erat desiderii deportaret maternus affectus, [impositiss sepulcro:] mandabat identidem famulo,

inspiceret filium, si nondum revixisset; sed frustra semper. Ergo pervenitur ad sepulcrum, eique imponitur exemptum linteo sepulcrali corpusculum: mater vero in genua se dat, Deumque rogat, ut si, quemadmodum credebat, Sanctus esset Magister Vincentius, vita filio redderetur: eodemque momento reviviscens defunctus ridere cœpit, & cerasa quæ secum portaverat famulus puerili aviditate comedere. Atque hoc secundum fuisse miraculum, quod est in S. Petri ecclesia publicatum, testabatur matrona, seque exinde annis singulis ivisse, & porro ituram ad sepulcrum cum oblatione duodecim denariorum: [item alius cui caput fissum erat.] eademque asserebat, ipso quo filius suus resuscitabatur tempore, advenisse qui alium puerum adferebant, asserebantque S. Vincentii ope revocatum ad vitam, postquam ei mater prægnans, humanæ carnis appetitu agitata, caput bifariam diffidisset; cujus rei testimonium dabat linea, inter partes miraculo unitas conspicua.

[32] In Parochia Theix, gemina peste moriebatur Ioannes filius Aufredi Pezron: quem in vivis retinens pater suus, reum sese agnovit voti, quo pollicitus erat una cum filio accedere nudis pedibus inque indusio ad sepulcrum Sancti. [peste aut aliter laborantes sanantur,] In Plaudren sanus surrexit e lecto, cui biennio jacuerat affixus, quidam Guilielmus Langorez dictus, cum sese Sancto obstrinxisset per votum. In Lavara quidam Joannes Guinqueron, nec brachia nec crura movere poterat toto mense, imo nec dormire nec edere quidquam; donec annuam decem denariorum pensionem Sancto vovit. In Guegon uxorem & duas ancillas, peste sublatas, extulerat Ioannes de Quelem; ipse autem ut præservari mereretur effecit, vovendo quod nudis pedibus atque indusio tectus ardentem cereum ad sepulcrum ferret. In parochia dicta Moustouer Gueheno, [equus amissus invenitur,] equum amissum tribus diebus frustra requisiverat nobilis vir, Bonabus de Colledon: reperit autem eodem die, [mortua

suscitatur una] quo duos solidos se portaturum Sancto vovit. In oppido Rochefort obierat Francisca, filia Nicolai le Comte, qui Duci Britannicæ Consiliarius & Auditor Cameræ rationum erat: prius autem quam sepulturæ aptaretur, votum vovit uterque parens, de argenteo duarum marcarum calice offerendo; quodque si filia suscitaretur, nudis pedibus & linteata ad sepulcrum ejus iret mater: quæ voti rea illud continuo implevit, quamvis hiberna tempestas & grande sex leucarum intervallum potuissent suadere dilationem.

[33] In loco Monachorum dicto, peste contactus Henricus de Remungol agebat animam vocis expers: [alteraque] convaluit tamen mox ut amici scutum aureum pro ejus incolumitate voverunt. Idem beneficium simili in articulo, in parochia de Ploegmelen Yvoni Marec obtigit. In parochia autem S. majoli jam expiraverat uxor Ioannis de Coveto: maritus tamen jactura mæstus, ascendit in collem, [sanantur arthriticus,] ex quo ecclesia S. Petri Venetensis conspici poterat, & S. Vincentium orat pro resuscitatione uxoris. Neque frustra: domum redux vivam & comedentem reperit; ipsaque, nuda pedes ac linteata, factum a marito pro se votum implens, patratumque in se miraculum narrans, [peste infecti,] admirationi cunctis fuit. In parochia Guergh, arthritis inveterata annorum trium humeros brachiaque Ioannis Sigilliferi sic impediverat, ut iis non magis uti posset, [cocles,] quam si nulla habuisset: qui postquam pluribus Sanctis se devovisset, experientia didicit quod sanitatis sibi reddendæ laus fuerit S. Vincentio reservata. Eiusdem auxilio Guilielmus Anglus, in parochia de Languidic, liberatus est a peste, ex qua non credebat se posse convalescere. Eodem in metu ibidem versabatur Ioannes Guidomary, geminis in partibus se malum traxisse videns: vixit tamen, quia nudis pedibus linteatumque ad Sancti tumulum iturum se vovit. In parochia de Badeu, [surdus,] oculi dextri lumen amiserat Petrus Prederet, factoque



voto recuperavit. Auditum vero recepit Thomas Boursec, quia cereas aures tumulo appendendas promiserat. In Noyal Pontivi, [moribundus] a Stephanus le Mayer extremum ducebat spiritum: postera tamen die Veneti sestitit ad sepulcrum Sancti, cum stupore omnium servatus in vivis, voto, quod pater suus nuncupaverat, Sancto.

[34] In Ploemur femina quædam amens restituta sibi est, facto pro ea ab amicis voto. Petrus Cardier; [insana.] parochiæ sanctæ Crucis incola, fracta ad Meandum navi mergebatur in mari, natandi ignarus: itaque Deiparæ Virgini Sanctoque Vincentio commendavit se, eodemque momento sursum ascendens, [juvantur submersioni proximus,] invisibili quadam manu sustentari se sensit, deindeque asserti uni impositus (modum ignorabat ipse) pervenit ad littus, [capite dolentes,] unde plus quam leucarum quatuor spatio aberat, decem ipsas horas super undas fluctuans. Curatæ sunt a grandi dolore capitis filiæ Yvonis du Beisit, Domini parochiæ Peaule dictæ, per impositionem manuum S. Vincentii, in Abbatia de Precibus S. Mariæ nuncupata; quod quæ testata est Petronella de Barzualen, dictæ parochiæ inquilina, [moribundus,] addidit se quoque multos favores ejusdem Sancti interventu obtinuisse: ad quem etiam facto per patrem voto, ibidem sanitatem recepit filius Ioannis Davion, qui visus vocis & cibi expers per octiduum iacuerat. [debilis,] Uxor Simonis Tutgual, in parochia de Quileron, gradiendi facultate ab anno destituta, sanitatem per mariti votum recepit. In parochia S. Evæ, voto facto revixit puer, qui mane in cunis erat repertus mortuus, & filius cujusdam a Kermrib cognominati, visui redditus est eodem tempore, quo pater suus ad Sancti monumentum orabat.

[35] Oliverius de Quinsec, Hennebonti Seneschallus & Ducis Consiliarius, [alius moribundus,] cum in parochia

Sarza ad Joannem Surzur divertisset, vidit hospitis filium animam agere, pro eoque sanctum invocavit Vincentium: mox autem loqui cœpit æger & postridie apparuit totus sanus. In parochia Plumergat gulam Ioannis Cadoudal occupabat pestis, [peste tactus,] qua ne extingueretur votum fecit S. Vincentio, ejusque se reum postridie agnovit: uti etiam pro filia sanæ menti reddita, a qua prorsus exciderat. [amens] In parochia de Questembert, adeo per annos duos infirmus jacuerat Ioannes Plonger, ut ægre comedere aut dormire posset: hortatur uxor ut S. Vincentio quinque solidos voveat: [graviter infirmus,] respondit ille, nescire se an Sanctus esset, quia jam vovisset denarios quinque, & tamen nihil sensisset solatii Iterum inquit, uxor ei te commenda, & quos dico quinque solidos, vove. Fecit & eodem instanti convaluit. In parochia Gueheno, filia Guilielmi le Guilchet, Ludovica nomine, [cocles,] quem post parentis votum recuperaverat oculi dexteri usum, voto que dilato rursum amiserat, eodem impleto recepit denuo Ioannes. Quere, in parochia Quistinic, septimum annum immani ventris torquebatur dolore, qui tandem in inguine adeo enormem aperuit plagam, ut per eam foras prociderent intestina, [læsus in inguine] nisi applicito laneo panno continerentur. Suadebant amici ut S. Vincentii experiretur auxilium, ille autem majorem in medicis collocabat fiduciam. Tandem tamen, nihil eos proficere videns, devovit se Sancto, intraque decimum diem sanata est plaga alias incurabilis.

[36] In parochia Guorn, quinque hebdomadis jacuit affixa lecto uxor Petri Guilielmi, cibi & somni expers, itaque receptis Ecclesiæ Sacramentis se parabat ad mortem. [moribunda.] Sed maritus ut non moreretur effecit, vovens annuos quinque denarios dum viveret, si uxor convaluisset, [arthriticus,] uti mox factum. Arthritim in humeris bachiisque tertio anno ferebat Joannes le Soellour, parochiæ Guern inquilinus: a qua voto facto

sanatus est. In parochia Treffleau votum faciens Petrus Loard, [peste afflati tres,] de quinque solidis ad canonizationem juvandam, totidemque denariis annue offerendis, si evaderet periculum, in quo se videbat, conjuge, sorore & quinque liberis peste extinctis; luem quidem contraxit ipse, sed mox convaluit. Idem omnino pro filio vovens Petrus Legat, animam egredientem retinuit in corpore: erat autem inquilinus parochiæ Ploescob, ad quam etiam spectabat nobilis ille Silvester Lorneloux; cujus filium supra suscitatum diximus. In oppido Malestricto (cujus Domina una cum Ducissa semper adfuerat S. Vincentio extremum ægrotanti) mortuo Sancto agebat animam filia Bertelotti Percherel, [moribundi : Puella & puer] pridem surda: pro cujus vita cum vovissent parentes, quod pariter omnes pedibus nudis tumulum sancti visitarent, auditum illa, & intra paucos dies sanitatem recepit. In parochia Missiriac a morte rediit Guilielmus Guichoux, ex parentum voto suscitatus. Votum pro filia, [morbo caduco laborans,] a morbo caduco liberata, solvere negligens Alanus le Clenicho relabentem vidit: maturavit igitur exolvere sese, neque deinceps relapsa est unquam, erat hic incola parochiæ S. Congari. In parochia autem S. Croverii claudus quidam Joannes Avise, experiri volens eorum fidem, qui a S. Vincentio rectum sibi promittebant incessum, [& claudus:] comperit minime vanam fuisse.

### ANNOTATA.

Ad distinctionem alterius Noyal, intra primum ab urbe Aprilis Tom. I. Venetensi lapidem siti. Est autem Pontivi diæcesis Venetensis oppidum: ne Pontivium in Picardia Comitatum hic intelligat aliquis.

Abbatia de precibus B. Mariæ Monachis Cisterciensibus fundata circa an. 1250. ad oram oceani, ubi in eundem Villania incurrit, ut istic preces pro

naufragantibus fierent: estque in diœcesi Venetensi, de qua vide multis Argentœum.

#### CAPVT IV.

#### Quœdam miracula, aliorum Episcopatum Britannicorum diœcesanis facta.

[37] In reliquis Britannicæ Episcopatibus facta quoque complura miracula sunt, quorum hic pauca commemorabo. Redonensis diœcesis oppidum est Rotonium, vulgo Redon: [Redoni sanantur moribundi puer] hic filium in extremis constitutum videns Dionysius Brehant, consensu celeriter equo Venetum properavit, S. Vincentii imploraturus auxilium, & Missam ibi dicendam curavit. Nec dum exierat templo, cum supervenit vir quidam, eique nuntiavit quod filium ejus vidisset miraculose sanatum. Ibidem S. Salvatoris a Abbatia est, in qua venerabilis Abbas Yvo decumbens, desperabatur a medicis: igitur ipse, qui sanus viventis adhuc Vincentii fuerat admirator, mortuum invocat moribundus; [& Abbas.] vovetque se curaturum imaginem, quæ in ecclesia publico exponatur honori, si fuerit canonizatus: interim jubet cantari Missam, in qua ipsius commemoratio fiat. Obdormiscens autem, visus est sibi videre Sanctum, D. Benedicto dicentem hæc verba: Curemus hunc ægrum. Ad quæ experrectus, ridere cœpit, & quod audiverat videratque narrare Religiosis. Neque fuisse somnium eventu patuit: nam postero die sanus surrexit. Eiusdem diœcesis cæca quœdam, cujus nomen testes reticere, auditis S. Vincentii miraculis, [in diœcesi Redonensi cæca,] promisit se illius visitaturam sepulcrum, receptoque mox visu votum implevit. In Fano denique S. Albini, du Cormier dicti, cum esset Rolinus le Mee Dinantensis, ab annis septem morbum caducum patiens, [& caducus.] consanguinei ejus commendarunt eum S. Vincentio, nec unquam postea est relapsus.

[38] In Nannetensi Episcopatu, Ploemelensis parochiæ Rector testatur, vidisse se civem Nannetensem, [in Nannetensi catarrhus periculosus,] cujus sibi nomen de memoria excidit, qui catarrho quodam fuerat annis quatuordecim impeditus ne posset ambulare: quin & mortem sibi ab eo metuebat nisi ad sepulcrum Sancti sanitatem obtinisset. [& leprosa sanantur.] Ex Blaing parochia votum adeundi sepulcri implens Joanna, vidua Joannis Durand, meruit a lepræ morbo curari. Guerrandæ in parochia S. Guingualoëi habitabant quidam, quorum præcipui, Mauritius Gilles, Yvo Calven, Ioannes Iaquin, Nicolaus Nihau, & Nicolaus Curtnay: qui inter piratas Anglos deprehensi, [juvantur periclitantes a piratis.] cum se vita bonisque spoliandos crederent, omnes se prostraverunt in genua, S. Vincentii implorantes misericordiam, pollicentesque quod Guerranda Venetum nudis irent pedibus & linteati. Mox autem ventus impetuosior piratas ad dimidiam leucam removit: qui cum identidem remis incumbendo proximos se prædæ crederent, iisdem votum replicantibus, identidem repulsi agebantur retro; donec in portum subducta navis est: nec distulerunt votum implere, & quisque pro facultate offerre aliquid. Guerrandensis item nobilis, Ioannes Iolan, [moribunda,] moribundam neptem Catharinam de Karccabut commendans Sancto, eamdem cum stupore omnium subito sanam vidit. Veneno infecta erat Ioanna uxor Guilliemi Bourdon, [veneno infecta,] natu quidem Redonensis, sed in Burgo-novo Radias cauponariam exercens; hæc visitato tumulo fuit miraculose liberata. Ad eundem tumulum ex parochia Rosarii venit Joannes l'Andel, mæstus quod uxor sua numquam filios, nisi mortuos, pareret: deinceps autem vivos enixa est. In parochia Fregeac nobilis quidam, [abortire solita;] Alanus Querlein, iracundia præceps, tribus vulneribus confodit alium, Joannem Joelin dictum. Fugiens autem & facti pœnitens se provolvit in genua, Sanctumque obsecravit, ut vitam redderet, cui ipse abstulerat: [occisus suscitatur.]

nec minus quam petiit factum est, & Joelinus coram omnibus suscitatus surrexit.

[39] Ex Sanmavlociensis diœcesis oppido Dinantio, Joannes Jovanneau ad sepulcrum S. Vincentii, uti voverat veniens, [In San-macloviensi, cæcus,] quanto Venetensi urbi fiebat propior, tanto clarius videre incipiebat, qui antea omnino cæcus fuerat. Petrina Morin, ardenti cuidam faciei timori, quem diutius tolerare non poterat remedium quærens, [facies tumefacta,] nullum invenit, nisi in voto de adeundo per tres secundas ferias loco, in quo Dinantii fuerat Sanctus concionatus. Ibidem Petronillæ cujusdam frater & maritus Petrus Piron, pro illa moribunda votum fecerunt, [& moribunda sanantur.] quod sanatam ad sepulcrum Sancti adducerent: sed votum implere dum differunt, invadit eam febris, dimissura cum primum se darent in viam. Quoniam vero Dinantiensis oppidi illata est mentio, non est omnino prætereundum, quod ibidem in sancti viri obitu accidit miraculum. Loci hujus magistratus curam tractandi, [Cerei in ejus honorem servati] quamdiu ibi concionaretur Sancti, dederat Joanni de Luquelic: hic cereos duos, quibus inter sacrificandum usus ille in Grandi-campo fuerat, domum suam religionis ergo detulit, eosdemque uxor ejus sibi traditos armario ad lectum proximo asservandos inclusit. Supervenit interea Purificationis festum, quando cereos suos proferre ex armario mulier volens, [in hora mortis ejus cœlitus accenduntur.] ipsum quidem firmiter clausum reperit, cereos tamen, quos neque alteri dedisse neque prorsus loco movisse certa erat, frustra requisivit. Obstupuit ad inopinatam jacturam mulier, & doluit: sed dolor hic diuturnus non fuit. Moritur etenim proximo Aprili Sanctus, ipsoque mortis momento experrectus subito Ioannes, cereos antehac desideratos super ipso armario lucere ardentem conspicit, & uxorem ad ejusdem novitatis, communicandam visionem expergefecit. Quid vero ea denotaretur non prius cognovere, quam tempus & horam,

qua ad æternam lucem Sanctus abiit, aliis referentibus intellexere.

[40] [Ibidem sanantur peste infecta.] Pluribus aliis in eadem Sanmacloviensi diœcesi S. Vincentius Miraculis claruit. In parochia de Ploumangat Domina loci, Helena de Plorech, uxor Guilielmi de Ploumangat, peste afflata extra spem vitæ erat facie enormiter intumescente & dolores augente; quæ detumuit, mox ut maritus & pater decumbentis pro ea votum nuncupavere, [in prælio læsus & mergendus,] ac deinde sanitati restituta est ipsa. Parochiæ Cannensis inquilius nobilis, Radulphus de Bostrioannis, in prælio graviter læsus ab Anglis, & in profundum ac fœtidum projectus lacum, cum ibi dimidia jacuisset hora, commendans se divæ Virgini Dinantiensi a virtutibus dictæ & S. Vincentio votum faciens, in ripa laci stantem vidit equum, optime instructum & expectantem donec emergeret ille, [cæca,] illum conscendens, pernici cursu Venetum advolavit, liberatori suo acturus gratias. Alietta, uxor Oliveri Colet, in parochia Guillac, amissum visum, orante S. Vincentium matre, recuperavit. In Ploenmelensi oppido habitans Joannes le Roux, dolorem stomachi, quem magnis frustra factis expensis incurabilem judicabant medici, & quem votum Sancto factum curarat, sensit recrudescere gravius graviusque donec visitato sepulcro votum implevit. [stomacho dolens,] Idem filiæ, sic ægræ ut mensem unum absque voce decumberet sanitatem obtinuit, S. Vincentio infirmam commendans. In oppido Jossellino, amissam loquendi facultatem recepit filius Godefridi l'Amoureux, [mutus,] cum pater Sanctum invocavit. Presbyter ejusdem oppidi, Guilielmus le Bot, vidisse se testatus est paralyticam feminam ad tumulu S. Vincentii curatam. Ad eundem advectus equo Joannes Bertier losselinensis, [paralytica,] qui mane inventus velut mortuus fuerat, in eoque statu totum unum diem permanserat, miraculose sanatus surrexit. In fluvium losselinensem ad molendinum,

[syncopem passus,] istuc ubi duas minimum lanceas profundus est, mergi videbatur Ioannes Gueho, quindecim annos natus & natandi rudis: jamque tertio fundum petierat, [suscitantur puer mersus,] pluribus inspectantibus nec valentibus succurrere; cum quædam domicella castri, Margarita Bourdat, admodum pia, S. Vincentio puerum vovit: qui quarta vice ascendens ab aqua, eductus inde, sed mortuus est; brevi autem resuscitatus per ipsius intercessionem Sancti, ad cuius tumulum illo die parentes Indulgentiarum lucrandarum causa accesserant.

[41] Joannes Venetensis, capitaneus balistariorum Ducis, [& Trecoriensis ex vulnere mortuus.] ita graviter læserat Ioannem Guerre balistarium Trecoriensem, stipendia importunius exigentem, ut mors fuerit consecuta. Hujus hospita Catharina, uxor Ioannis Guernezne, suæ imputans negligentiae quod absque confessione expirasset; non desiit S. Vincentium implorare, ut vitam mortuo tantisper redderet, donec sua esset confessus peccata. Exauditam autem sese mox vidit, testante eo qui mortuus fuerat, a viro quodam albis vestito ad vitam se esse revocatum. Vixit porro etiam diu post; [sanatur debilis.] sed qui blasphemiiis horrendis assuerat antea, ex tunc plane alius suis apparuit. Nobilis Querlisquinensis, Guilielmus Kmirhinc dictus, gradi absque furcilla non poterat: sed ad sepulcrum Sancti veniens sanatusque ipsam ibi reliquit, in monumentum miraculi. In Conubiensi Episcopatu & parochia Corleyensi, resuscitatus a morte ad vitam est Ioannes Pauli, [Cornubiensis unus,] post votum a sua uxore factum. Ex Leonensi diœcesi Venetum advenerat nauta quidam, & hospitabatur apud Ægidium Guiasson, ubi ex fenestra, quadragenos pedes alta, in præceps datus expiravit. [alius Leonensis a morte suscitati,] Accurrit hospita consternata, & si forte adhuc viveret foco applicat rigentem: sed frustra. Ergo provoluta in genua convertitur ad preces, & S. Vincentium invocat: qui eadem



hora mortuo vocem vitamque sic reddidit, ut postero die actis sancto gratiis sanus & incolumis ad suos discesserit.

[42] Habes bonam partem miraculorum ex Venetensi processu in breviorē formam quantum potui succincte contractorum, ne tædium legenti prolixitas pareret, licet non absque periculo omittendarum circumstantiarum quarundam valde notabilium: excusabit lector in votis miraculisque [Hactenus ex processu Venetensi.] explicandis eamdem phrasim sæpius recurrentem, neque enim in re simili toties possibile fuit illam mutare, quoties eam placuit iterare Deo: qui multis præterea miraculis aliis Sanctum hunc suum glorificavit. Omittenda nobis ea omnia sunt: sicut & illa quæ patrata fuerunt ad plumeum lectum nobilis familiæ Plessiacensis de Rosmadec, [lectus sancti multis salutaris.] in quo nocte una infirmus decumbens S. Vincentius eundem multis salutiferum effecit, super ipsum devote recumbentibus: donec belli calamitas quædam e medio illum sustulit, sic tamen ut tanti boni illic aliquando possessi memoria semper fuerit conservata, una cum insigni erga Sanctum ejusque Fratres affectu. Cujus affectus hæres idem qui nominis sanguinisque aviti, domi suæ excepit Fratres, ultimis hisce annis pro stabiliendo Veneti conventu laborantes, identidemque hac de causa iens ac rediens per hiberna frigora, ad avunculum suum Venetensem Episcopum, tot suis officiis colophonem imposuit munifica fundatione conventus Venetensis, ipsi S. Vincentio dedicati.

[43] Quid vero de illa precandi formula dicam qua plurimum usus est in curandis ægris S. Vincentius, & cujus exempla pluries cusa & recusa numero maximo distribuuntur per Fratres Rhedonensis Conventus a S. Maria Boni-nuntii appellationem habentis? [& precanda formula viventi usitata.] Ipse ego vidi oculis meis plurimas personas, tam religiosas quam seculares, super quas eadem recitata frangebatur febres in ipsa paroxysmi

vehementia. Oratio autem illa hæc est: Super ægros manus imponent & bene habebunt. Jesus Mariæ filius, mundi salus & Dominus, qui te trahit ad fidem Catholicam, te conservet & beatum faciat, & ab hac infirmitate liberare dignetur. Amen. Hæc oratio infinitarum curationum mediatrix ei fuit, ex quarum immenso propemodum numero octingentæ septuaginta tres legitimis comprobatæ testimoniis sunt, ad Canonizationem ejus suadendam, de qua nunc dicere aggrediemur. Hactenus Bernardus Guyard in suo de Vita & miraculis S. Vincentii tractatu Gallico, Parisiis edito anno MDCXXXIV. Quæ deinde subjungit, ea ex ipsis fontibus proferre malumus addimus autem, quæ triennio post gesta, addere ipse non potuit, recogniti & honorificentissimo translati Corporis historiam authenticam; ne quid ad præsentem usque diem desideretur, quod ad Sancti hujus notitiam faciat: plura daturi si ipsos Processus atque imprimis Hispanicos, Ranzano intactos, nancisci potuissemus: quos adhuc mitti petimus, nec non Ranzani tractatum de Canonizatione S. Vincentii, cujus solum principium habemus & damus.